



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 4. Quomodo concreta multiplicentur, & de se invicem, nec non de abstractis prædicari possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

vus; sed de essentia corvi est forma, sive nigredo; ergo forma est de essentia concreti etiam materialiter accepti. *Prob. min.* Prædicatum in propositione affirmativa vera debet esse idem cum subjecto; ergo pariter nigredo, quæ venit ex parte prædicati, erit idem cum subjecto, & consequenter de ejus essentia. *R. D. ant. probat.* Prædicatum debet esse idem saltem quoad rectum. C. etiam quoad obliquum, qui hîc est nigredo. N.

§. IV.

Quomodo concreta multiplicentur, & de se invicem, nec non de abstractis prædicari possint?

374. *Dico 1.* Concreta multiplicantur multiplicato recto. Ita Authores communiter. *Ratio est*, quia concreta supponunt pro rectis; ergo his multiplicatis, ipsa quoque concreta multiplicari necesse est. Ita *Casil. Summul. lib. 1. cap. 4 n. 24.* *Joan. de Benedictis. lib. 2. cap. 3. sub finem.* Ex his colliges, quòd, si ponerentur tres albedines in uno subjecto, non forent tria alba; sed subjectum appellandum potius foret *ter album*; quia non multiplicaretur id, pro quo concretum supponit. Econtrà si eadem albedo in tribus poneretur subjectis, essent tria alba, ob rationem oppositam; quamvis illa tria alba inadæquatè idem essent, nimirum quoad obliquum. Sic pariter Christus est unum tantum concretum, licet duæ sint in eo naturæ; econtrà si tres Personæ divinæ eandem assumerent humanitatem, tres essent ho-

mines, id quod Nominales, Marsilius, Gabriel, Cajetanus, Medina, Joan. de Benedictis defendunt. Si verò D. Thomam 3. p. q. 3. q. 6. ad 1. & Suarezium Tom. 1. in 3. p. Disp. 13. Sect. 2. & 3. sequi velis, dices, quòd, in casu, quo tres Personæ eandem assumerent humanitatem, unicus tantùm foret homo, sicut tres Personæ eandem habentes naturam divinam sunt unus Deus. Quæ posterior sententia ab Authoritate fortè firmior est; Prior autem Uniformiter magis multiplicationem concretorum explicat.

375. *Dico 2.* Concreta tum de se invicem, tum de abstractis prædicari possunt sequentibus modis. I. Concreta physica de physicis, & metaphysica de metaphysicis rectè prædicantur in sensu reali, & specificativo. v. g. *Album est dulce; Homo est animal. Ratio est,* quia est identitas inter rectos; id quod ex resolutione dictarum propositionum facile intelliges; faciunt enim hunc sensum: *Res habens albedinem, est res habens dulcedinem. Res habens humanitatem, est res habens animalitatem.* II. Abstracta physica de physicis malè prædicantur. Sic malè dico: *Albedo est dulcedo. Ratio est,* quòd has inter formas identitas non detur, sed tantùm Unio. Excipiuntur abstracta superiora, quæ de abstractis inferioribus benè prædicari possunt. v. g. *Albedo est color, color est qualitas. Ratio est,* quia albedo in colore, color in qualitate ceû genere identicè includitur. III. Abstracta metaphysica de metaphysi-

phycis in sensu reali bene prædicantur, non
 autem in sensu formali. Sic benè dicitur: *Ra-*
tionalitas Petri realiter est animalitas Petri: malè
 autem sic diceretur in sensu formali, cùm ra-
 tionalitas non sit formaliter animalitas. Exci-
 piuntur hìc rursus abstracta metaphysica su-
 periora, quæ etiam in sensu formali de inferio-
 ribus benè prædicantur. Sic benè dico: *Pe-*
treitas formaliter est humanitas, cùm Petreitas
 nil aliud sit, quàm hæc singularis humanitas.
 IV. Concreta physica malè prædicantur de ab-
 stractis phycis, & vicissim. Sic falsa est hæc
 prædicatio: *Album est albedo*. Si autem sint
 concreta metaphysica, verè prædicari possunt,
 saltem in sensu reali. v. g. *Animalitas realiter*
est animal. Plura de his si desideres, Consule.
 P. Channevelle. *Part. 2. Log. Disp. 2. append.*
ad art. 5. P. Haunold. & Aler.

ARTICULUS III.

Variorum adhuc Terminorum Explicatio.

MENS non est, distinctionum terminos hìc
 denuò vocare ad examen, qui suis locis
 partim explicati jam sunt, & adhuc explica-
 buntur: Nec ea pluribus hìc prosequar, quæ
 de reliquis termini divisionibus ex pervulgata
 Dialectica Tyronibus Philosophis prælegi, &
 præambulis exercitationibus explicari, in-
 culcarique solent. Sed suppositis iis, quæ à
 studii philosophici exordio de terminis agitan-
 tur, illos hìc terminos per quæstiones quasdam